

D. D.

DISSERTATIO JURIDICA,  
DE EO  
QUOD CIRCA RES INVENTAS  
JUSTUM EST,  
AD CAP. XLVIII. MGB.

---

QUAM

Ex CONSENSU CONSULTISS. FACULTATIS JURIDICÆ  
IN REGIA UNIVERSITATE ABOËNSI,

PRÆSIDE

MATTHIA CALONIO,  
JURIS PROF. REG. ET ORD.

PRO LICENTIA

*Summos in utroque Jure Honores capessendi*

*Placido Eruditorum examini submittit*

REGINALDUS WILHELMUS STIERWALD,  
In Supr. Dicæst. Reg. Aboënsi Vice-Notarius, Ostrobotnensis.

In AUDIT. ACAD. MAJORI Die xviii. Decembr.

A. MDCCCLXXXIV.

*Horis Ante & Post merid. consuetis.*

---

ABOÆ,

Typis Viduæ Reg. Acad. Typ. Joh. C. FRENCKELL.

GOLD CROWNES INVENTAS  
TUM MURIBUS  
AERIS ET AERIS

in hunc puerum amorem  
in hunc puerum amorem

MATHIAS CAPONIO

in hunc puerum amorem

in hunc puerum amorem

in hunc puerum amorem

in hunc puerum amorem

§. I.

**R**es esse nullius aut *natura*, aut ex *derelictione* prioris domini, inter omnes constat. Ut vero adprehensio earum rerum, quae natura nullius sunt, cum animo eas sibi habendi conjuncta, *occupatio* dicitur; sic *occupatio* rerum derelictarum, & in specie quidem corporalium mobilium, *inventio*, sumto in strictiori sensu hoc vocabulo, appellatur. *Derelictarum* autem nomine nobis veniunt non eae modo res, quas vel dominus notorie eo abjecit animo, ut easdem suas amplius non esse *nude* velit, actu scilicet voluntatis, qui nihil praeterea, adeoque nec translationem rei ullatenus complectitur, vel de quibus, ex indubiis indicis certo constat, illas jam nullius omnino hominis dominio contineri; verum & quas custodia & possessione sua forte elapsas, tam longo temporis spatio investigare & repetere neglexit dominus, ut illarum recuperandarum animum eum deseruisse probabiliter inde inferri queat. Quia ergo duplicis generis esse patet res derelictas, alias, quarum *certa* ac *evidens*, alias, quarum *præsumta* tantummodo est derelictio; neque difficile ad intellegendum fuerit, duas omnino *occupationis*, qua in constitut inventio, constituendas esse species, unam *veram*, alteram *putativam*. *Illa* qua res obtinet, de quarum derelictione non dubitatur, & sola, absque ullo alio facto interveniente, ad dominium earum adquirendum sufficit. *Hac*

*agni*

A

con-

contra pro objecto habet res, quæ derelictæ præsumuntur tantum; quapropter nec per se dominium tribuere vallet, nisi *præscriptione*, qua jus vindicandi priori domino auctoratur, & *usucapione*, quæ continuatæ possessioni proprietatem adjicit, adjuvetur. De hac autem *usucapione*, seu *præscriptione*, nihil enim obstat, quominus promiscue jam his utamur vocibus, cujusnam sit juris, naturalisne an mera civilis, & quoniam præcipue ex fundamento æquitatem ejus demonstrari conveniat, inter Eruditos varie disputatum novimus. Nobis, pro nostri instituti modo, satis erit observasse, eum quatenus definito generaliter certo tempori adstringitur, legum quidem civilium esse inventum: sed ejus tamen generis inventum, quod non modo non invita, sed & commendante naturali ratione in usum fuit traductum. Etenim ultro quamvis largiamur dominii jura, utut & aliter visum sit BYNKERSHOEKIO *de dominio maris c. 1.* corporali possessione minime terminari, & quæ custodia sui domini exciderunt, ideo mox cuivis occupanti non patere, cfr. THOMASII *notas ad HUBER. de jure civit. Lib. 2. Sect. 4. c. 2. n. 43.* pag. 452. seqq.; attamen cum in genere verum sit, res derelictas nullius fieri, ad pacem autem & securitatem universæ hominum societatis valde intersit, ut sieubi de domino quærendum venit, utrum rem suam dereliquerit an minus; nec omnimoda super ea re haberi queat certitudo; in eo quod maxime probabile fuerit potius aquiescamus, quam dubitationibus finem nunquam habituris æternum indulgeamus, quo sic in tuto collocentur rerum dominia: sane a legibus civilibus, quæ & aliâs diversos casus, ob infinitam conditionum individualium discrepantiā naturali jure diversimode definiendos, & ob finitam  
inge-

ingenii humani perspicaciam ad vivum nunquam refecandos, ad generalem unam, eamque palpabilem conformitatem revocant, exspectandum erit, ut spectato eo, quod ut plurimum fieri solet, determinent, quænam *præsumtæ* derelictionis species pro *vera* habenda sit, vel quibus conditionibus positis, res amissa inventori irrevocabiliter adquiratur. Atque tantum abest, ut hæ leges, quæ imposta inventori denunciandæ inventionis suæ necessitate, & concessio domino sufficienti ac congruo rei suæ persequendæ spatio, usucaptionem in gratiam *illius* sanciunt, *huic* vero jus vindicandi in casum negligentiae præscribunt, iniuritatis adeusandæ sint, ut potius, dum eo ipso lites præcidunt, ignaviam excutiunt, diligentiam dominorum severè exercent, & dominiorum certitudinem circummuniunt, saluberrimæ prædicandæ sint. Quod videlicet peccatur in singulis, publica in universis utilitate multoties rependitur. Hinc & recte omnino GAIUS l. 1. ff. de *usurp.* & *usuc.* bono publico usucapio introduc̄ta est, ne scilicet quarundam rerum diu & fere semper incerta dominia essent, cum sufficeret dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spatium. Nec plane de nibilo est, quod dicit PAULUS l. 28. ff. de verb. sign. vix est ut non videatur alienare, qui patitur usucapi.

## §. II.

Est itaque *inventio*, quatenus occupatione vel *vera* vel *putativa* nititur, modus adquirendi partim *originarius* partim *ex originario & derivativo civili mixtus*. Et licet ejus ope, saltim nisi jus occupandi alteri prius fuerit quæsum, dominium naturaliter adquiratur inventori, hoc est

qui rem derelictam primus corporaliter adprehendit, vel in potentia proxima ad adprehendendum constitutus, occupandi animam primus declaravit: quia tamen occupatio rerum merae est libertatis, ut de suis circa illam iuribus, pro libitu pacisci possint homines, nihil quidquam impedit, quominus inventionis jura legibus civilibus, quæ pactorum naturam hactenus imitantur, varie, pro indeole & consuetudine uniuscujusque civitatis determinari queant. Sed miretur quis qui factum, ut Ius nostrum hodiernum, præcipuani hujus materiæ sedem, in *Tit. de criminibus*, & eam quidem, quæ de furtis est ejus sectiōnem, cap. *XLVII. MB.* conjecterit, cum si doctrinarum seriem systematis legibus adtemperari placuisset, in *tit. de jure mercandi*, quo in de acquirendis in primis rerum mobilium dominiis agitur, eam collocandam suisse palam sit? Caussam ejus rei vix aliam veriorem adsignayeris, quam follicitam legumlatoris curam, ne absque urgente graviori necessitate recederetur ab ordine materiarum in Jure antiquo observari consueto. Cur autem majoribus plauerit de rebus inventis dispositionem doctrinæ de furtis subnectere, non infacete explicat *Ius vetus Uplandicum LII. fl. MhB. in pr. Fyndir aglu nāst Tiufnadi standa: Thy at Tiavar hitta giärna, sva sum klukkaria hitti kalkin.* Cfr. *CIV. fl. MhB. WestmL XXXV. ManhB. HelsL.* & ad eandem hanc rationem respexisse procul dubio dixeris prioscos *Norvegos & Islandos*, similem quippe in suis Legistriis ordinem secutos. Vid. *CHRIST. IV Norrsk. Lou c. XIII. TyueB. IslLou. JonsBog. c. XIV. TyueB.*

## §. III.

Sed his in anteceßum præstructis, accedendum nobis jam est ad enodandas varias inventionis species, vel expresse in Jure nostro notatas, vel quarum in vita communi exempla occurrerint. Et primum quidem de inventione rerum vere derelictarum agendum. In his principem locum *MISSILIBUS* tribuere licebit, non quod frequentes de iis in foro personent lites, sed quod hæc sola fere sint, quæ expresso derelinquendi animo abjiciuntur. Sunt autem *Missilia* definiente HOPPIO ad §. 45. *Inst. de rer. div. donaria, quæ Imperatores, atque olim Consules, hodie omnes qui Majestate gaudent, liberalitatis gratia & in perpetuam alicujus rei memoriam, in vulgus dispergere solent.* Historiam horum conscribere ad nos jam non pertinet. Fecit id AHASY. FRITSCH in tractatu *de Sparfione missil*, qui exstat opusc. Ejus T. II. P. IV. n. 6. & qua partem, CAROL. LUD. WESENFELD in erudita *Diatriba Antiquario-Jurid.* similis argumenti 1744. Traject. ad Rheenum edita, quam a GERH. OELRICH *Thesauro Diff. Jurid. selectiss.* in *Academis Belg. habitarum Vol. II. T. I. n. 3. p. 139. seqq.* insertam legas. Monuisse sufficiat hoc institutum, ex laudabili in Romanorum Magistratibus, publicæ munificentie studio, a cicere, faba, lupinis & nucibus profectum; deinde emerendæ popularis auræ cupiditate latius proiectum; post ambitione in luxum ac prodigalitatem conversum; tandem intra tolerabilem quemdam memorialium præsertim numismatum & cibariorum modum, quoad, ad consecrandam publici aut luctus aut gaudii, iti exequiis ac coronationibus Regum, & Principum natalitiis, memoriam satis esset, coercitam, hodienum etjam, indelebili quamvis

\* \* \* \*

barbariei macula adspersum, in usū esse. Est autem de missilibus hisce manifestum, eadem, quatenus plebi, ut nonnulla in eam cadat rapina, ad colligendum projiciuntur, mox ac jacta sunt nullius fieri, & cedere occupanti, ut proinde ei sine injuria auferri nequeant. Mirifice quidem se torquent Juris Romani interpretes, ut explicent, an *donationis* titulō, in incertam quamvis personam collata domini voluntate, transferatur horum dominium, supplente traditionis vicem jactu, vel an tamquam res, quæ jactantis simpliciter esse desierunt, *occupationis* jure fiant capientis. Sed quis est qui non videt, in sparitione missilium a parte jactantis, cum in certum quendam vel certos capientes non consenserit, nudam adesse rei suæ derelinquendæ voluntatem, cum traditione minime confundendam: adeoque nec a parte capientis ad rem suam faciendam, alium quam *occupationis* titulum locum invenire posse. Qua ex re consequitur ex ipsa naturalis juris simplicitate, ad *inventionis* non ad *donationis* titulum totum hoc negotium esse referendum. Cfr. WESENFELD *I. cit. p. 148.-152.*

#### §, IV.

Altero loco in rerum vere derelictarum, quæ objec-  
tum *inventionis* constituant, numero **THESAURUM** col-  
locabimus ~~παρὰ τὸ εἰς αὐτοὺς πήρεται~~ sic dictum. Varias  
hæc vox induit significationes; quibus tamen percensem-  
dis non est ut immoremur, cum de iis, præter Lexico-  
graphos alios, consuli poterit *VICAT in Vocab. Juris.*  
Hic non alia ejus obtinet acceptio, quam qua, præeunte  
**LEONE Imperatore l. unic. C. de Thes. condita notat ab ig-**

*notis dominis tempore vetustiori mobilia.* Quem in sensum etjam PAULO l. 31. §. 1. ff. de adqu. rer. dom. vetus dicitur pecuniae depositio, cuius memoria non exstat, ut jam dominum non habeat: Et WURFFELIO Jurispr. defin. §. 634. res cuius dominus omnium memoriam effugit, insolito loco recondita. Atque hoc eodem significatu in Jure nostro, si in terra defossus, *Nedgrafven Skatt*, sive in maris aut lacus alicujus profundo submersus latuerit, *Botnfynd* adpellatur. *XLVIII.* 2. *MB.* cfr. *XV. TjufB. SundermL. XXXVII. BygdB. OGL. XXXVI. TjufB. LL. XV. TjufB. StL.* Quemadmodum autem ex adlatis definitionibus oppido colligitur, ad Thesaurum constitendum requiri (1.) res mobiles, (2.) in terra vel alio insuetu-  
loco absconditas, quæ (3.) vetustate temporis dominum amiserunt; ita simul ex iis adparet pecuniam, quam quis metus vel custodiæ caussa terræ visceribus abdidit, ipsis rebus, ætate sua, forma, inscriptionibus, adnexis vel inclusis syngraphis, aut signis quibuscumque aliis domini adhuc dum existentis, vel certa vel probabilia indica perhibentibus, thesauri jure ante censeri non posse, quam superveniente legitimi temporis præscriptione, jus vindicandi domino fuerit ablatum, ut infra uberiorius dicitur. Obiter vero commemorasse haud pigebit, thesauros plerosque, velut monumenta quædam pristinæ barbarie, considerari debere. Etenim quamdiu homines vel incertis sedibus vagabantur, vel nondum constituta rite civitate in tuguriolis suis continuo ab aliorum incursionibus metu vexabantur, vel perpetuis fere partim publicis partim privatis inter se collidebantur bellis: nihil fere frequentius accidit, quam ut, avaritia simul & invidia haud raro instigantibus, pecuniam suam, & quæ pretio-  
fiora

siora ipsis viderentur mobilia, almae matris Telluris gremio custodienda commendarent, ceu & id hodienum a Lapponibus nostris, vid. HÖGSTRÖM *Lappm. Beskr. c. IV.* §. 15. p. 92. & ab aliis barbaris gentibus fieri novimus. Hinc, ut quam a pactis & legibus defosse pecuniae polliceri non poterant securitatem, religionis saltim obtentu eidem procurarent: dæmones sibi singebant, qui varias induit formas thesauris velut incubarent, eosque a directionibus tutos præstarent: aliis contra, qui his scrutandis inhiabant, superstitioni superstitionem opponentibus, sibique & aliis persuadere laborantibus, custodes istos incantationibus abigi, & terram ad commissas sibi opes quasi evomendas conjurari posse. Quam late vesana hæc orbem pervagata fuerit opinio dici vix potest. Meminit LUCIANUS in *Pseudomant.* præstigiorum, qui magicas artes inter alia ad Thesauros eruendos comparatas profitebantur. Laudat quoque Odinum STURLÆSON. *Ingl. S. c. 7.* quod in thesauris perquirendis sagacem admodum, & incantatorum, quibus expromi possent, adprime doctum semet præfiterit: Ut, quæ de peculiari Thesauorum Deo *Skratten*, a nostratis culto, narrantur, silentio prætereamus. Christianis deinde saeris introduci cœptis, tantum absuit, ut ineptam hanc persuasionem animis hominum eximere laboraret Clerus, ut potius ipse, partim haustis e Judaica & pagana Dæmonologia præjudiciis occœcatus, partim falsis de Diaboli in sublunaribus potentia opinionibus, ex erronea librorum Novi Fœderis interpretatione imbutus, partim denique sordida mæri cupidine abreptus, novos comminisceretur thesauri effodiendi modos, triplici hoc superstitionis genere mire interpolatos, & horrendis exorcismis refertissimos, ceu vel

unum

\* \* \* \* \*

unum eorum exemplum, quod exhibet BOEHMER *Jur. Eccles. Protest.* L. V. Tit. XXI. §. 17. Tom. V. p. 429. seqq. abunde satis istud evincit. Cfr. WIERUS de *Præfig. Dæm.* Lib. V. c. 10. Unde nec mirandum, quod adhuc dum vanissimis de thesaurorum custodia somniis, rudis, credulaque ideo, plebecula tantopere deludi semet patiatur.

### §. V.

Verum e diverticulo in viam. Præcipua quæ circa thesaurum exentienda venit quæstio, ea est, cuinam is naturaliter adquiratur, & quonam id fiat titulo? Hujus autem decisio, cum ex alia pendeat quæstione præjudiciali, utrum nimirum thesaurus simpliciter pro *re nullius* an pro *parte fundi* in quo abditus jacuit, an denique pro *media* quadam inter has duas *specie* sit habendus? factum inde est, ut hac de re potissimum graves inter Jure Consultos agitatæ fuerint controversiae. Facile quidem adparet, qua thesaurum quem quis in *suo fundo*, vel eo qui *nullius* est, reperiit, frustra hoc ipsum in disceptationem vocari. Utrumlibet enim statuatur, in confessu est, inventori eum adquiri: & quo præcise titulo illud fiat, disputare parum omnino refert. Attamen ubi quæstio incidit de thesauro, quem quis in *alieno* invenerit *fundo*, nemo non videt multum in eo situm esse momenti, quodnam decidendæ litis fundamentum amplectaris. Si namque dixeris thesaurum prorsus *rem esse nullius*, inventorius cedet necesse est, jure *occupationis*. Si *partem fundi* eum esse fingas, totus ad *dominum soli* jure *accessionis* pertinebit. Sin *media* incedas via, non alia remanebit causæ expediendæ ratio, quam ut thesaurus inventorem inter

ter & dominum soli dividatur. Hinc cum ad solidorem domesticarum etjam de hoc argumento legum intelligentiam adprime conducat, singularum harum opinionum & fata nosse, & rationes quibus fulciri solent, quo sic a qua parte stet æquitas distinctius judicari queat, nos propositæ brevitatis memores, quæ ea de re scitu maxime necessaria fuerint, carptim enarrabimus.

### §. VI.

Notissimum est in gente Romana, cui aliâs gloriam reductæ in artem Jurisprudentiæ deberi nemo fortassis negaverit, eam sensim cum aliis ex caussis, tum ex introducta temere, inter perpetua plebis & Patriciorum dissidia, *fori disputatione*, enatam fuisse juris incertitudinem, quæ tandem, postquam OCTAVIUS AUGUSTUS Cæsar facultatem respondendi per modum beneficij Jure consultis indulsisset, Judicibusque, ne ab eorum responsis recederent, vetuisset, auctoribus in primis ac ducibus ANTISTIO LABEONE & C. ATTEJO CAPITONE, duas progenuit sectas, quarum quæ *Labeonem* sequebatur PROCULIANORUM a *Proculo*, altera vero, quæ CAPITONIS vestigia legebant, SABINIANORUM a *Masurio Sabino* nomen postmodum est fortita. v. l. 2. §. 47. ff. de Orig. Jur. & GRAVINÆ Orig. L. I. 45. 73. 74. 76. 81. Proculiani ut de omnibus juris apicibus subtilius disputabant, ingenii que & doctrinæ suæ fiducia novitatibus excogitandis impensius delectabantur; ita & intricatissimam de dominii ac possessionis natura ac indeole, eorunque acquireendorum vel amittendorum modis doctrinam nimia sedulitate explicaturi, in eam prolabebantur opinionem, ut thesaurum fundi, in

in quo latet, partem esse contenderent. Docebant nimirum, fundum cuius esset, ejus esse ab usque suprema cœli regione ad infima soli subsellia: quod cum nemo gazas suas in alienum facile abstruderet fundum, præsumptionem semper esse pro domino, eum thesaurum ibi defodisse, huncque ideo una cum fundo videri transmissum: quod licet ut pars incerta, quæ an & ubi sit ignoratur, per se ac separatim possideri non posset, nihil tamen impedire, quominus universitatis jure cum tota re possideri intelligeretur, animo id implente quod naturali possessioni de-  
esset: & æquum præterea videri, ut fundus tanquam res dignior, in remunerationem custodiæ hominum memori-  
am excedentis, ad se adtraheret thesaurum ceu rem in-  
digniorem. *Vid. l. 3. §. 3. ff. de adquir. vel amitt. possess.*  
efr. ENGELB. DE MAN *diff. ad loc. cit. §. 9. apud OEL-*  
*RICH l. c. T. I. Vol. I. p. 323.* Qua ex doctrina conse-  
quebatur inventionem thesauri non ad *occupationis* sed  
ad *accessionis* jus referendum esse, thesaurumque, pro-  
pterea, a quo demumcunque inventum, ad fundi domi-  
num spectare. Dissentiebant ab his *Sabiniani*, qui rece-  
ptis vulgo vocabulorum notionibus, & communi homi-  
num ratiocinandi modo pressius se adligantes, thesaurum,  
quod nec a corpore fundi proveniret, nec cum eo natu-  
raliter cohæreret, non sine apertissima absurditate, tam-  
quam partem vel accessionem fundi considerari posse, e-  
umque ideo haud aliter ac rem quamvis alienam pro de-  
reliquo habitam, & communioni primævæ restitutam, *oc-*  
*cupationis* jure inventorii in solidum adquiri urgebant. *l.*  
*31. §. 1. ff. de adquir. rer. dom.* Cum vero multiplicatis  
indies inter diversa hæc utriusque sectæ studia diffensio-  
num seminibus, parum jam abesse, quin jus omne in ce-

reum velut quendam nasum conversum videretur; & proinde, confirmato principatu, de obturandis litium fontibus, incertitudineque illa tollenda cogitari cœpisset, HADRIANUS Imperator hanc etiam materiam sub examen revocavit, perpensisque quæ utrinque allegari fuerant rationibus, medium velut feritus ita cavit, ut si quis thesaurum in *suo*, aut *facto*, aut *religioso* loco (hi enim duo rebus *nullius* accensabantur §. 7. *Inst. de rer. divisi.*) reperisset, ipse potiretur; si in *alieno*, non data ad hoc opera, dimidium domino daret, si in *publico*, cum fisco æqualiter partiretur. SPARTIAN. *in vita Hadr.* c. 18. §. 39. *Inst. Tit.* c. l. 63. ff. *de adquir. rer. dom.* Atque hanc quidem sanctionem, licet & interjecto tempore, prout ingenia fuere Imperantium, aut ad fisci lucra adtentiorum, aut ad privatorum dominiorum sanctitatem tuendam magis propendentium, ab eadem variis modis ultro citroque, ut ostendit GOTHOFRED. *ad Tit. Cod. Theodos.* *de Thes. Tom. III. p. 513. seqq.* esset desitum, a LEONE junior Imperatore, bac solum cautione addita, ut qui sceleratis ac puniendis sacrificiis, aut alia qualibet arte legibus odiosa thesaurum quæsivisset, beneficio hujus legis excidisse judicaretur, restauratam, Codici suo JUSTINIANUS inseruit. *l. unic. Cod. de Thes.* Et cum, successorum avaritia ac cupiditate iterum labefactata, in desuetudinem abiisset, pristino suo vigori eandem denuo restituit LEO Philosophus *Novell. LI.*

### §. VII.

Adparet itaque ex dictis, Romanos de legibus ex arte condendis sollicitos, in definiendo quidnam circa thesau-

saurum in alieno fundo inventum justum esset, triplicem ingressos fuisse viam, quarum una *Proculianorum* erat, *Sabinianorum* altera, & tertia denique, quam a HADRIANO horum dissidia composituro monstratam, JUSTINIANUS sequendam edixerat. Quemadmodum autem progressu temporis per omnem fere Europaeum orbem se diffudit hujus gentis Jurisprudentia, eamque post renatas præsertim litteras consecuta est venerationem, quam nullis unquam humanis legibus contigisse legimus: ita & facile est ad intelligendum, evenire vix aliter potuisse, quam ut non Juris modo naturalis Doctores, ad sua arva ex ejus fontibus riganda certatim velut concurrerent, sed & Legumlatoribus plerisque tautum non gloriosum videtur, ex ditiissimo hoc penu, sibi suæque reipublicæ, quæ imitarentur decerpere. Sic a *Proculianorum* philosophia non penitus alienum se professus est THOMASIUS in *notis ad HUBER. de jure civit. Lib. II. Sect. IV. C. 3. n. 19.* Et quamquam principia eorum cœn inepta rejiceret WOLFIUS *Jur. Nat. Part. II. C. 2. §. 331.* pro domino tamen soli, quod jus occupandi ei quæsitum esset, & ipse pronunciavit. *§. 332. ibd.* *Sabinianorum* doctrinam amplexi sunt GROTIUS de *Jure Bell. & Pac. L. II. C. 8. §. 7. & PUFENDORFF *Jur. Nat. & Gent. Libr. IV. c. 6. §. 13.**

Jure Consultis interim plerisque pro æquitate legislatonis *Hadrianeæ* depugnantibus. Et profecto, si arbitrariis omnibus fori decisionibus sepositis, solam in consilium vocemus naturalem rationem, vix insciandum erit, eandem omnium prope videri æquissimam. Quod tamen ad evincendum non opus est, ut cum Commentatorum turba operose disputemus, accessionis ne an occupationis juri magis in hac re tribuendum sit, aut cuinam eorum primas

dederit HADRIANUS. Suppetit namque planior longe alia & commodior rationem legis hujus reddendi via, ab illustr. WOLFIO *l. c.* egregie quidem indigitata, at non presso satis, quod pace tanti Viri dixerim, pede calcata. Est videlicet thesaurus res nullius. Verum ut ab una parte clarum est, divisis inter homines fundorum dominiis, *jus occupandi ad terram* finibus ejusque fundi comprehensa, non posse non cum dominio soli conjunctum, adeoque domino fundi, cum exclusione omnium aliorum adquisitum intelligi: ita ab altera non minus evidenter liquet, thesaurum, nisi in eum inventor fortunae beneficio incidisset, eumque occupasset, æternum fortassis fuisse latitum, & hoc præsertim respectu diversissimam esse ejus a feris, quæ in silvis nostris oberrant, aut *piscibus*, qui in aquis nostris degunt, rationem. Sicut ergo iniquum foret, eum cui *jus occupandi* pacta vel leges reservaverant, ex usu sui juris, ab altero quantumvis fortuito sibi intercepto, nihil sentire commodi: sic nec æquum esset, inventorem ab omni improvisi & divino quasi munere oblati sibi lucri participatione excludi. Quam autem uterque feret lucri partem? dimidiā procul dubio. Quid enim in humana vita tutius, quid rectius, quam ut quoties æqualia fere utrinque stant rationum pondera, ad exactissimum calculum nulla arte revocanda, non in sumnum nec imum, sed medium eatur, resque de qua lis est, pari inter utrumque lance dividatur? cfr. DE MAN *l. c.* §. 9. Quia vero palam est, hæc omnia, in eum, qui data ad hoc opera, thesauros in alieno fundo, inscio & in vito domino scrutatus est, minime quadrare, quippe quod is *jus proprietarii* deliberato animo involavit; ideo neq; incongruum fuerit, ut is, sicubi istius modi casus inciderit,

rit, quod rarissime eventurum facile perspicitur, quæsiti mala fide lucri parte, in pœnam quasi suæ proterviæ privetur.

### §. VIII.

Si jam ad gentium instituta oculos deflectere placuerit, vix quidem obscurum manebit, rectissime a C<sup>U</sup>JACIO *Observ. Lib. IX. c. 37.* esse animadversum, nullam tam juris materiam, quam hanc ipsam, quæ de thesauris est, ex libidine & arbitrio Imperantium semper pependisse. Etenim cum prudentia civilis doceat, in acquisitionibus fisci constituendis, notante id THOMASIO in *dissert. de Regal. fisci Princip. Germ. c. II. §. 1.* videntur esse, annon suppetant acquirendi fontes, ex quibus cives quam minimum damni sentiant; tales autem sint, si res nullius, quarum dominium aut possessionem vel nondum acquisiverunt, vel acquisitam amiserunt subditi, nulla aut exigua admodum earum recuperandarum spe sibi relicta fisco adscribantur: hinc sapienti aliquando confilio, aliquando sola aviditate duci Principes, hanc omni fere ævo inierunt ærarii locupletandi viam, molestam quippe non futuram civibus, qui cum sua possidere cunctis liceret, aliena fisco libenter offerrent, siquidem & sine damno inventa perderent, qui propria non amitterent, prout THEODORICUM Ostrogothorum Regem ratiocinatum narrat CASSIODORUS *Var. VI. 8.* Sic veteres Germani, ut res alias plerasque nullius, ita & Thesauros ad fisum deferendos voluerunt. HEINECC. *ELEM. Jur. Germ. L. II. Tit. I. §. 8. p. 220.* Angli pariter, cum olim inventorii thesaurum cederent, hodie eum ærario totum adplicant, BLACKSTONE *comment. Libr.*

*Libr. I. c. 8. §. 13.* Quod & in Hispania usu receptum esse tradit GROTIUS l. *supr. c.* In vicina quoque *Dania Regis* est aurum omne ac argentum, quod ad vomeris attactum in terra reconditum invenitur. *Judsk. Lov. B.* *Lib. II. c. 113.* K. CHRISTIAN V. *Dansk. Lov. Lib. V. c. 9. §. 3.* cfr. *SkåneLag. om Urbota mål. §. 41.* Sed quidquid horum sit, & quamvis id, ut siveis thesauros in quoecunque loco repertos sibi vindicet, universi orbis consuetudine introductum existimaverit COVARRUVIAS, ut videre est apud CORVIN. in *method. enarr. Cod. ad Lib. X. Tit. XV.* fuere tamen alii legumlatores, qui sic suas de hoc argumento adornarunt sanctiones, ut principia Juris Romani ipsis obversata facile agnoscas. *Jus vetus Islandicum thesauri fortuito inventi trientem inventorii, duas trientes domino soli adsignat: data vera opera quæsumum, huic in solidum adjudicat, statuta insuper inventorii mulcta ob alienum agrum temere effossum.* *Jons B. cap. XV. TyveB.* *Jus Norvegicum CHRISTIANI IV. c. XIII. TyveB.* & c. XI. *OdelsB.* pariter ac CHRISTIANI V. *Lib. V. Art. 1-8.* trifariam eum dividit, ad æquas inter fiscum, inventorem & dominum soli partes. Idem in *Gallia* hodie saltim, ut plurimum observari docet CHOPPIN de *doman. Gall. L. II. Tit. V. §. 12.* ubi & antiquas istius regni consuetudines fuse persequitur. Quid? quod *Germanicæ gentes* pleræque, abrogato veteri more, ad Juris Justianæi dispositionem semet jam contulerint. Fecisse fid *Saxones* ex constitutione patet D. AUGUSTI *Electoris*, qua locum *Specul. Saxon. L. I. Art. 35.* vi cuius, quæcunque profundius sub terra recondita jacerent, quam quo aratum pertingeret, ad fiscum pertinerent, quod & *Spec. Svecic. c. 379.* sanctum erat, de solis metallorum venis in-

intelligendum, & qua thesauros jure civili Romano standum esse authentice interpretatus est. CARPOV. *Juris pr. for. Romano-Saxon.* P. II. Const. LIII. p. 875. cfr. HORNIUS de regali metallif. jure §. 14. Eundem tenorem servat Jus *Austriacum*, eo solum cum discrimine, ut partem inventoris data opera in alieno scrutantis fisco addiccat. KEES *Comment. ad §. 39. Inst. de rer. div.* Quo cum & consentit Jus *Prussicum* hodiernum, ita tamen ut inter inventorem licitis aut illicitis artibus quærerentem nullam admittat distinctionem, mera quippe superstitione nixam. P. II. L. II. Tit. 5. Art. I. §. 5. Sed plura hanc in rem cumulare jam non vacat.

### §. IX.

In patriam reversi, si ad antiquiores leges animum advertimus, eas omnes, quæ thesauri meminerunt, in eo consensisse deprehendimus, ut eum tamquam rem nullius Regem inter & inventorem, neglecto domino soli, dividendum vellent. In adsignanda autem utriusque portione in diversa eas abire videas. Jus *Sudermannicum* XV. *TiufB.* bessem fisco, inventori trientem addicit. *Ostrogothicum* XXXVII. 2. *BygdB.* dimidium utriique concedit. Quod & Jure tam *Christophoriano* XXVI. 1. *TiufB.* quam *Municipali* XV. *TiufB.* comprobatum; ut proinde mirari subeat, qui factum, ut Rex CAROLUS XI. *Placat om allehanda fynd d. 5. Jul. 1684.* bessem omnis thesauri fisco deberi statuens, ad Jus commune provocare non dubitaverit. Retinuerant CHRISTOPHORIANI juris sanctionem, quibus cura concinnandi hodierni codicis delegata suit, ut patet ex specimine Ordinibus regni a. 1731

\* \* \*

exhibitio, in quo sic incipit §. 2. c. XLVIII. MB. Af ned-  
grafven skatt, botfynd eller annat slikt, ther ei fins ågare  
til, tage Konungen halft och halft then som hitte. At non  
meruit Regni Ordinum suffragia hæc rogatio, ex ea po-  
tissimum, ut facile conjici potest caussa, quod monarchiæ,  
quam restitutæ nuper libertati convenientior videretur.  
Erat præterlapsis temporibus fisco jus vindicatum occu-  
pandi bona ~~adsermota~~ in privatorum fundis forte obvia, &  
sic quidem vindicatum, ut laudatum jus a dominio soli a-  
vulsu, & dominis fundorum prorsus ademtu, haud  
~~obscure~~ adpareret. Exemplo ejus rei esse poterunt, me-  
tallisodinæ quævis & minerarum venæ, Färnbergs-Ord-  
ningen d. 6. Julii 1649. §. 4. Riksdags Besl. d. 3. Januar.  
1683. §. 13. Concharum margaritiferarum piscationes, K.  
förrordn. om Pårlefish. d. 29. Maji 1691. ad regalia fisci,  
contra quam antiquitus obtinuerat, relatæ; & jus anima-  
lia fera nobiliora & utilia in fundis suis venandi, plebi  
(pancis tantum provinciis exceptis) negatum K. Stadg.  
om Jagter, Djurf. och fogelj. k. d. 29. Aug. 1644. §. §. 1. 2.  
Sublato itaque absolute Regum imperio & libertate recu-  
perata, cum id præcipue agendum sibi judicarent Regni  
Ordines, ut vel abolerentur vel saltim restringerentur  
quotquot essent fisci jura in præjudicium privatorum do-  
miniorum, præter evidentem necessitatem, vel olim vel  
nuperius introducta: jus etjam istud occupandi bona va-  
cuæ fundorum limitibus conclusa, ceu cum ipso soli do-  
minio naturaliter connexum, civibus denuo adserendum  
putabant. Hinc non modo metallorum in suis fundis fo-  
diendorum, K. förrordn. ang. deras friheter som någre me-  
tall- och min. strelk upfinna d. 27. Aug. 1723. §. 1. Ad. Pri-  
vit. d. 16. Oct. 1723. §. 13. & concharum margaritiferarum  
colli-

colligendarum, *K. förordn. ang. Pärlefish. d. 20. Sept. 1723*  
 (°) & venationis in propriis sylvis, rejecto scilicet eo,  
 quod specimini novi codicis insertum erat c. *XXIII. BB.*  
*Huru bōtas skal, tå Högdjur, Hare och fogel olagl. skjutas*  
*eller fångas*, jus privatis restitutum: verum & deinceps  
 de thesauro sanctum, ut regulariter dimidia ejus pars  
 domino soli, altera dimidia inventori cederet; sin antiquis  
 constaret nummis, vel metallis fabrefactis, aliisque artis  
 operibus, ut tum fisco jus esset, cessante hoc in casu in  
 totum eo, quod domino soli alias qua dimidium indulatum  
 fuerat jure, ab inventore ea redimendi, praestita huic in-  
 tegra eorundem aestimatione cum augmentatione octantis  
*XLVIII. 2. MB.* Quem locum, in hac nempe materia  
 classicum, paullo uberior explanasse haud pigebit.

### §. X.

Bimembrem esse sanctionem loco adlato propositam,  
 & primo obtutu, cuivis in oculos incidit. Quod ergo  
 prius ejusdem membrum adtinet, sciendum est illud non  
 ad alios trahendum esse thesauros, quam quae mobilibus  
 constant, communi tantummodo pretio estimari solitis, vel  
 ut distinctius nos explicemus, quae a parte fisca *premium*  
 quoddam *affectionis* non recipiunt. Si vero notes per  
 vocem *Fördägare* ut constanter alias, sic & l. c. non a-  
 lios intelligi, quam penes quos directum fundi est *domini-*  
 C 2 *um;*

(\*) Hanc tamen constitutionem postmodum abrogandam  
 & jus Myas margaritif. colligendi fisco iterum vindicandum  
 voluerunt Regni Ordines. Vid. *K. M. ytterl. förordn. ang.*  
*Pärlefish. d. 4. Maii 1731.*

um; & intricatissimam adeo Commentatorum Juris Romani, de *dominii utilis* & *usus fructus* ad thesauri perceptionem effectu, philosophiam, nullius plane in foro Svecano esse utilitatis; ex disertis legis de hujus generis thesauro verbis, sequentia nullo negotio deduces consecutari: nimirum (1.) thesaurum a domino in suo prædio, sive *libero*, sive *censitico* inventum, ipsimet in solidum adquiri. (2.) Quod si fundus inter plures communis fuerit, condominorum unumquemque pro rata ad unam thesauri dimidiā participandam admittendum esse, altera dimidia inventori cedente. (3.) Quod si *fiscalis* vel *emphyteuticus* fuerit fundus vel ex toto vel ex parte, fiscum vel dominum emphyteuseos, vel integrum dimidiā thesauri, vel pro rata sui dominii, portionem dimidiæ percipere. (4.) Thesauri in fundo urbano, qui non in privato, sed universitatis est dominio, inventi, dimidium fisco urbico: in area autem templi, aut prædio, quod ab ecclesia directo dominio possidetur (*Kyrkohemman*) reperti, ecclesiæ adsignandum esse. (5.) Thesauri in prædio dotali *IX. 4. GB.* vel cum antichresi hypothecato *IX. 7. JB.* vel alteri ad utendum fruendum per dies vitæ *VIII. 1. JB.* vel qualicunque alia sub conditione concesso, inventi, dimidiā, domino soli debitum, nec *viduæ* dotem possidenti, nec *hypothecario* nec *usu fructuario*, sed *proprietario soli* adquiri. Cfr. *K. Ref. på Präster-sk. allm. Besv. d. 10. Dec. 1672. §. 12.* Nec dubium (6.) Dominum thesaurum in suo loco inventiem, ad inventionem ullo modo denunciandam haud teneri. Eum contra qui in *alieno* invenerit, ad indicium ejus bona fide domino soli faciendum omnino obligari. Si quas alias hujusmodi in caussis moveri contigerit quæstiones, ex principiis hisce rite applicatis, facilime deci-  
den-

dentur. Addere tamen licebit, nullum in nostro Jure inter *fortuito* invenientem & *data opera* quærentem adparere disserimen, idque, partim quod cogitari vix possit inventio, quæ non aliquali licet ad inveniendum opera adhibita, casui magis quam confilio accepta referri mereatur, partim quod dominus thesaurum in suo fundo investigari sciens nec prohibens, tacite in id consensisse existimetur, consulto a Legumlatore videri omissum: ideoque ab hac distinctione, ne invita lege, foro temere intrudatur, sedulo cavendum esse. Meminisse quoque jubarit, inventorem in scrutando thesauro superstitionis artibus usum, dimidia sibi debita, cum neque id lex præceperit, mulctari minime oportere, quamvis & pœna superstitionis *II. 2. MB.* pro re nata pœcli & queat & debeat. Cui tamen, si *virgula* solummodo *divinatoria* usus fuerit, locum non esse, facile dabit etiam is, qui cæterum omnia, quæ de mira ejus vi ac efficacia circumferuntur, anilibus accensenda fabulis judicaverit.

### §. XI.

Posterior laudatæ *sanctionis* membrum ad thesauros pertinet, quorum materiam efficiunt vetera numismata, & rariora artis opera, e. c. arma, utensilia, codices manuscripti &c. quæ ob insigniorem, quam historiæ patriæ & antiquis gentis nostræ moribus ac ~~constitutis~~ pernoscendis fenerantur lucem, *pretio adfectionis* fiscus æstimat. Esse hunc genuinum legis sensum, ut non alia, quam quæ laudato fini inserviunt, dispositione ejus comprehendantur, res ipsa luculenter satis evincit. Quæ enim vel fingi potest ratio, cur præter integrum eorum æstimationem,

nem, octantem insuper inventori solvendam lex jubeat, si non haec sola, quod eadem præter *commune suum* *præmium* aliud adhuc recipient, ex *adfectu*, quo fertur Legum-lator ad gazophylacia & archiva publica omnibus iis rebus ornanda ac locupletanda, quæ ad pristini ævi habitum vividius repræsentandum, ad illustrium virorum, & rerum pace belloque præclare ac fortiter gestarum memoriā ab oblivione vindicandam, decusque ac honorem patriæ conciliandum, quoquo modo faciunt. Præluserunt quodammodo introducendo huic juri Tutores Regis CAROLI XI adhuc dum minorenxis, laudabili omnino suo, de antiquitatibus patriis, quarum in primis *Regni tum Cancellarius*, Comes MAGNUS GABRIEL DE LA GARDIE amantissimus fuit, bene merendi studio, *K. Plac. om gamle Monum. och Antiquit. i Riket d. 28. Novemb. 1666.* ab Ordinibus regni, qua decebat venerabunda gratitudinis testificatione excepto, *Riksd. Besl. d. 22. Sept. 1668. §. 2.* Proxima vero ejusdem fundamenta Ipse jecit REX AUGUSTISSIMUS, ex gustu sui saeculi, de conquirendis undique vetusti ævi monumentis non minus sollicitus, edita *Constit. supr. cit. om alleh. fynd d. 5. Julii 1684.* quippe e qua potissimum, eo cum temperamento, quod præsentium rerum svalerat conditio, petita sunt, quæ in Codice FRIDERICIANO l. c. fancita, & in *K. br. til Landshöfd. i Finl. d. 20. Aug. 1755.* ulterius explicata leguntur. Vi quorum jam mobilia quævis, quæ raritatis commendationem habere, & Archæologiæ litterariæ subsidium quoquo modo præbitura videantur, ubicunque demum, sive in terra, sive in ejus superficie reperta, Præfecto Regio provinciæ omnino erunt denuncianda, ut is caussam omnem ad S. Regiam Majestatem referat, adjuncta concinna rerum i-

pla-

psarum & loci quo in inventæ fuerunt descriptione, quo  
 sic si Regiae Majestati e re fisci esse visum fuerit eas redi-  
 mi, de pretio earum & præmio inventionis inventorí sol-  
 vendo decerni queat. Existit non ita pridem, anno 1770  
 hic prope Aboam exemplum hujusmodi inventionis silen-  
 tio a nobis vix prætereandum. Miles quidam gregarius  
 in parœcia *Noufis*, agellum suum haud procul a templo,  
 cuius ætas ad medium circa sæculi XII adscendit, dissim-  
 tum fossa circumdaturus, annulum repererat aureum, do-  
 drantem ulnæ longum, ponderis autem, ad *normam moneta-  
 riæ exacti*, *auri ligati*  $15\frac{1}{2}$  lothonum, *puri* vero  $14$  lo-  
 thon.  $10\frac{2}{3}$  granorum, valorem  $56\frac{1}{2}$  Ducatorum, quos  
 vocant æquantum, cuius coëntes utrinque extremitates  
 ad formam serpentini capitis assabre satis erant effigiatæ.  
 Atque hunc annulum, quem olim in muliebris capitib[us] or-  
 namentis, ad cincinnatos crines ambitu suo continendos,  
 adhibitum, periti harum rerum existimatores suspicati  
 sunt, fisco oblatum, Regium Cancellariæ Regni Collegi-  
 um, solutis mili[ti] 2016, thaleris cupreis, quorum, ex ea  
 quæ tum valuerat Ducati æstimatione, 1792 thal. in pre-  
 tium annuli ordinarium, 224 th. vero in præmium inven-  
 tionis lege stipulatum computabantur, redimendum cura-  
 vit, *K. Cancell. Coll. Br. til Landsh. i Åbo d. 30. Oct. 1770.*  
 cfr. *Inr. Tidn. 1770. N. 88.* Habet interim omnis hujus  
 generis thesaurus id singulare, ut nihil unquam ex illo  
 lucri, ad dominum fundi quo in effossus fuit, sive is fi-  
 scus fit, sive privatus, sed quantumcunque illud fuerit, to-  
 tum ad inventorem solum redundet. Nec difficile per-  
 spectu, & ad fraudulentas inter inventorem & dominum  
 fundi collusiones præcavendas, & ad redemtionis benefi-  
 ciūm fisco tanto certius conciliandum, hoc ita esse con-  
 stitu-

stitutum. Cæterum sicubi acciderit, ut fiscus res inventas vindicare nolit, quod quidem eveniet, quoties vel pretium affectionis in illas cadere nequit, vel earum exemplaria aliunde jam habentur quæsita, nemo non inteligit, illas tum ad eam redire caussam, quam *s. proxime præcedenti* exposuimus.

### §. XII.

Forsan piaculum esset intactam prorsus dimittere quæstionem, non eam quidem valde salebrosam, sed tamen, ut sunt quorundam hominum ingenia ad manifestissimam etiam iniquitatem, confictarum qualiumcunque rationum velo palliandam prona, in controversiam deducam, an nempe mercenarius ad sodiendum, arandum, ædificandum conductus, si locatam præstiturus operam thesaurum invenerit, juris quid in ea potiatur, vel an partem ejus inventorii alias cessuram conductori adquisivisse censendus sit? Posterius ex his potissimum argumentis, quod qui operas locat, præter mercedem nihil habeat quod exigat, caetera vero ejus qui conduxit commodo sint vel incommodo; item quod conductus conductorem referat, & quod ipse facit, perinde sit atque si conductor fecisset, ANGELO ad *s. 39. Inst. de rer. div.* & PETRO GREGORIO Tholosano *Syntagm. L. III. c. XI. n. 5.* placuisse narrat præter alios BYNKERSHOEK *Obs. Jur. Rom. L. II. c. IV.* ubi & notat in eandem sententiam in Belgio suo non nunquam in Judiciis fuisse pronunciatum. Verum ut solidè disputat Illustr. Auctori. *I. c. nihil his rationibus esse potest levius. Plus enim, ut ipsius potius quam meis utar verbis, quam manifestum est, thesaurum casu inveniri &*

*mer-*

mercentarium non intelligi mercenarium, nisi contemplatione rei ad quam conductus est. Conductus autem est ad sodiendum, edificandum, vel si quid his est simile, ad thesaurum inveniendum conductus non est. Neque igitur respectu thesauri mercenarius est vel fessor vel edificator; Neque ex eo quod nullum est quidquam juris conductor, non fortunæ, sed opera. Resert præterea conductus conductorem, sed in eo ad quod conductus est; ad quod non est, cuiusvis extranei loco habendus, etiam in eo quod occasione locatæ operæ obvenit. Fuisse eandem hanc quæstionem & in Patria nostra olim motam condiscere est ex XXXVII. 2. MhB. HafL ubi sic decisa legitur: *Hitta leggo hjon fynd, sva at thön läggiå åy bondans syfslu nidher, Tha åghu the luth i fynd. Läggiå the nidher bondans syfslu, tha aghi bondi fynd.* Sed utut omnino largiendum sit, dominum a mercenario, qui contra pactionis formulam a stipulatis operis ad thesaurum effodiendum se recepit, jure exigere ut damnum operarum sibi præstet, iniquitatis tamen vix ac ne vix quidem absolveris legem, quæ sub frivolo sæpiissime hoc prætextu, mercenarium a communione oblati forte lucri in totum excluserat, pusillamque culpam gravi ut plurimum multaverat dispendio.

## §. XIII.

Præter duas, de quibus hactenus egimus, vix aliæ cogitari poterint inventionis species, quæ, res de quarum derelictione certo constat, pro objecto habeant. Saltim reliquæ omnes, quarum in Jure nostro fit mentio, circa res versantur, quæ derelictæ probabili tantummodo conjectura præsumuntur, quasque uno *rерum amissorum*

rum vocabulo comprehendere tantisper licebit. Ad quas ergo breviter contemplandas cum progrediendum jam erit, scire ante omnia convenerit, quænam sint principia illa communia, quibus legum nostrarum de his iplis sanctiones inituntur. His enim cognitis, de iis quæ singulis speciebus propria sunt, expeditior fiet disputatio. In genere itaque Jus nostrum, rem amissam suo domino legitime eandem repetenti, salvam utique ab inventore vult præstandam. Quia vero dominum rem suam, ni ea carere malit, quantocuyus indagaturum tanto graviori de caussa præsumit Legumlator, quanto in avertendis damnis, quam lucro captando sollertiares fere esse soleant homines; hinc perquisitionem rei suæ, domini ipsiusmet diligentiae permittit, nec inventori plus injungit, qnam ut rebus a se inventis parem ac suis custodiam præstet, easque publice & modo legitimo proclamandas curet. Hunc scilicet, ubi dominum revera ignoraverit, nec ipso res suas mox e vestigio perquirente, se eas invenisse dolose dissimulaverit, quam primum inventionem solenniter denunciandam fecerit, suo perfunctum officio, malæque fideli & meditatæ fraudulentæ interversionis aut contrectationis suspicionem a se amolitum tantum non semper judicat, eumque idcirco omni domini præterea investigandi obligatione exsolvit. Cum porro vel nunquam vel rarissime, haec enim in Jure pari passu ambulant, contingat, ut non intrâ unius anni decursum opportuna satis domino rei suæ recuperandæ suppetat occasio; negligentiam autem suam & socordiam sibi non inventori nocere conveniat; igitur jus rei amissæ vindicandæ, annui temporis spatio, unico eidem noctiduo in complementum addito (*natt och år*), & a die finitæ proclamationis computando,

domi-

domino præscribendum vult, & sic quidem præscribendum, ut nec ad moram, quantumvis legitimis impedimentis, purgandam, eum regulariter admittendum velit. Nec sane de repellendo ab allegandis impedimentis domino facile dubitaverit quisquam, qui modo animadvertebit consuetam aliâs clausulam, *utan han visar laga förfall XV. 4. ÅB. ther han ej laga förfall visar §. 5. ibd. utan laga förfall XVIII. 1. 3. ibd.* singulis in locis, in quibus de rebus amissis vindicandis agitur, constantissime, & sic quidem non nisi consulto prætermissam esse. Ad æquitatem vero hujus juris in tuto collocandam, ut dominiorum in civitate certitudinis procurandæ necessitatem, de qua supra §. I. dictum, cordatis caussæ æstimatoribus sufficietram arbitramur; ita jam, quemadmodum in eundem hunc annum, qua reperta mobilia, præscriptionis terminum, inde ab ævo introduceti juris XII Tabb. omnes pæne gentes unanimibus velut suffragiis consenserint, quamvis nec levis aut contemnenda istius consensus videatur auctoritas, ostendere supervacuum judicamus, ad diversas inventionis rerum amissarum species explicandas properaturi.

#### §. XIV.

In his primum se nobis offert inventio RERUM PERDITARUM, id est, inanimatarum, quæ casu, e. g. de rheda currenti, in viam aut plateam elapsæ, custodia & possessione sui domini exciderunt XLVIII. 1. MB.; quam igitur, nostratis olim haud incommoda denominatione *Vågafynd* adpellatam, LII. MhB. *UplL. in pr. XIV. TiufB. SudermL. CIV. MhB. WestmL. XXXV. MhB. HelsL. cfr. XXXII. TiufB. LL. XI. TiufB. StL.* tertiam, ut continua

nuo ordine decurrat instituta numerandi ratio, constitue-  
 mus inventionis speciem. Quae huic propria sunt, vel  
 denunciationem, vel vindicationem rerum inventarum, vel  
 si non vindicentur, divisionem earum adtingunt. Etenim  
 cum res suas perdere, peregrinantibus maxime & viato-  
 ribus accidere soleat; ideoque dum inveniuntur, præsumi  
 generaliter nequeat, dominum in propinquuo commorari:  
 hinc quo sic facilius ad notitiam suam perducatur, quor-  
 sum devenerint, & ubinam recuperari possint, inventorū  
 injunctum, ut istas ter, tribus videlicet proximis diebus  
 dominicis non interrupta serie se invicem excipientibus,  
 ruri, in adjacente proxime ad locum inventionis templo,  
 in urbibus vero in singulis intra earum pomœria sitis e-  
 suggestu, finita sacra concione, *Kyrko-Ordn.* 1686. c. II.  
 §. 5. & insuper in proximo iudicio territoriali vel iudicio  
 curiali majori, una vice proclamandas faciat. Et scopo  
 quidem Legumlatoris haud secus ac analogiae juris con-  
 venientissimum videtur, proclamationem iudicialem non  
 nisi in statis & ordinariis iudiciis fieri, & iis quidem, quo-  
 ties licet, diebus, qui & cæteram solennibus aliarum re-  
 rum proclamationibus, destinati sunt, II. 3. *RB.* IV. 2.  
 §. 3. *HB.* quippe quibus maxima in foro adesse so-  
 let hominum frequentia. Vindicationem autem harum  
 Jus nostrum domino non concedit, nisi sub conditione,  
 ut præter impensas in rem perditam adipiscendam & con-  
 servandam ab inventore fortassis factas, utpote quas, ne  
 hujus cum damno locupletetur dominus, resarciri omni-  
 no justum est, *ius erga* etjam, seu *præmium inventionis* sol-  
 vat. Hoc quidem ipsum jure naturali inventori minime  
 deberi certum est, prout id solide ostendit *WOLFIUS* l. c.  
 c. 3. §. 640, unde & illud *non probe peti* *ULPIANO* die-  
 tur,

tur, l. 43. §. 9. ff. de furt. At quemadmodum aliâs haud raro quæ liberalis sunt officii, in officia strictæ obligatio-  
nis legibus civilibus permuntantur; ita hic pariter factum,  
quo nimirum certa obtinendæ qualiscunque remuneratio-  
nis spe proposita, inventores ad bonam fidem adhibendam  
tanto efficacius permoverentur, dominisque simul, de  
graviori jactura levi cum impendio ab ipsis ayertenda  
prospiceretur. Interim, cum naturaliter meræ honestatis  
sit hæc præmii solutio, & abjectioris utique animi videa-  
tur restituendi necessitatem pretio magis quam naturæ  
regula metiri velle: nullo inde negotio colligitur, quid-  
nam caußæ fuerit, ut cum ejus quantitatem vetera Jura  
aut ostante, LII. 2. MhB. UplL. aut sextante XXXV.  
MhB. HeslL. aut integra triente æstimationis rerum in-  
ventarum XXXVII. BygdB. ÖGL. XIV. TiufB. SudermL.  
CIV. MhB. WestmL. XXIII. TiufB. LL. XII. TiufB.  
StL. determinaverint, hodiernum eandem domino, suo fere  
arbitrio, definiendam permiserit. Quia tamen commo-  
nitum eum voluit Legumlator, ut in inventore remune-  
rando æquitatis haberet rationem (*gifue skålig hittelbn*);  
vix dubitaverim, quin si sordidiorum ea in re semet ges-  
serit, nec amica compositione sopiri potuerit controver-  
sia, Judicis sit, lité ad se devoluta, suum interponere ar-  
bitrium, & pro magnitudine pretii rerum perditarum, in-  
ventionis difficultate, cæterisque quæ ponderis alicujus  
visa fuerint momentis, pronunciare, quantum inventorii  
præstari conveniat. Cave autem hinc inferas, *jus deten-  
tionis* in rebus inventis inventori, quoad de præmio in-  
ventionis sibi satisfactum fuerit, concedendum esse. Præ-  
terquam enim quod generalis sit regula, laudatum *jus*  
nunquam ei qui ad lucrum captandum agit, sed illi tan-

tummodo, qui pro indemnitate sua certat, competere, argumento *XI.* 3. *XII.* 8. *XVII.* 3. *HB.* *VIII.* 11. *UtsB.* *XIV.* 4. *SkiplB.* *SjδL.* *XV.* 12. *RB.* ita tanto absurdius idem, nisi qua *impensas*, inventori indulgeretur, quanto manifestius ipsa legis littera innuat, eum his in caussis observandum esse ordinem, ut inventum primum restitutatur, inventionis deinde præmium solvatur. Cæterum circa *divisionem* perditarum hujusmodi rerum, ubi nimirum dominus jus earundem vindicandarum præscriptione amiserit, id peculiare obtinet, ut æstimationis illarum, publica subhastatione commodissime quidem & ne fraudibus locus relinquatur definiendæ, bessis fisco, triens inventori cedat. Cujus rei, qua in, ceu ex locis superius adlatis patet, priscæ etiam gentis nostræ leges cum hodiernis consentiunt, in eo sita est ratio, quod, cum viæ publicæ & plateæ, non in privati alicujus sed in coronæ sint dominio; huicque ideo *jus proprium* ~~ad terram~~ in illis forte obvia *occupandi* competit: manifestissima depositat æquitas, ut in his ipsis rebus melior sit fisci, quam inventoris conditio. Cumque secundum naturam sit, ut onerum eadem, quæ commodorum inter condominos servetur proportio; nec perspectu devium fuerit, impensas in rem inventam factas, his in casibus similiter pro rata fiscum inter & inventorem esse dividendas.

### §. XV.

Verum inveniuntur quoque non raro res animatæ, uno vocabulo *animalia*, eaque aut mansueta quæ definiente WOLFIO l. cit. c. II. §. 304. hominum consuetudine gaudent & abeunt redeuntque, vel avolant revolantque, nec longius

gius abire vel volare solent; aut mansuetia, quorum, secundum eundem §. 310. natura fera est, sed quæ ex consuetudine abeunt redeunque, vel evolant revolantque. Esto igitur nobis quarta inventionis species inventio PECORIS ERRABUNDI seu animalis mansueti herbarici, quod domum reverti jam nescium extra solita pascua in alieno solo diutius vagatur, vernacula lingua *Driftesā XLVIII.*

3. MGB. Quænam pecoris notione contineantur animantia jam dudum inter Jure Consultos quæ situm constat. In primis de *suibus* disputatum an in pecoribus connumrandi essent, l. 2. §. 2. ff. ad Leg. Aquil. l. 65. §. 4. ff. de Legat. 3. Et licet ad affirmativa jam olim plerisque placuerit, quamvis &, tributo in partes universo genere, inter *quadrupedes*, *pecudes* & *bestias* distinguere solerent, BYNKERSHOEK de reb. mancipi c. 6. 7. sopia tamen litem denuo suscitavit Jo. GOEDDEUS Disp. P. I. disp. XVII. §. 6. negativam fere veriorem ratus: quan & postea defendendam sibi sumsis GERH. FELTMANNUS de inclus. anim. c. 20. a THOMASIO dissert. de Abigeatu §. §. 33. 38. data opera explosus. At quorū opus, ut his peregrini juris five subtilitatibus, five nugis nos profundiū immisceamus? Satius erit observasse, in patria nunquam quidem de *suibus* an pecora essent fuisse dubitatum: sed vocis *Fā*, quæ Romanorum *pecori* respondet, duplēcēm nihil minus in Jure nostro occurrere significationem, *latiorem* unam, qua haud secus ac Germanicum *Vieh*, de quo THOMASIUS Diff. prox. cit. §. 40. omne animal *mansuetum*, five *herbaricum* five *carnivorum*, adeoque *canes* etiam, imo & *feles* sub se comprehendit: vid. XXIV. BygaB. ÓGL. XXXIII. BygnB. SudermL. XLIV. BygnB. LL. & unicū fortassis hodierni Codicis locum

XXII.

XXII. 5. BB. ubi Oxe, hæst, hund, eller hvad fôr thet hålst  
 år &c. alteram stridiorem & quasi propriam, qua sola  
 quæ vegetabilibus ordinarie vescuntur domestica anima-  
 lia suo ambitu complectitur, quo in sensu & carnivoris  
 istis contradistingui plerumque solet. Exempla haben-  
 tur c. XXII. BygnB. in rubr. & §. §. 6. 7. 8. ibd. XXXIII.  
 MB. in rubr. & §. 1. ibd. cfr. IX. 1. XII. in pr. XLVII.  
 BygnB. II. TiufB. LL. XXVIII. 3. 4. WidherbB. Upl.  
 LXVI. BygnB. WestmL. Atque posteriorem hanc acce-  
 ptionem, hujus jam esse loci, vel collatio ejusdem cum  
 XLIII. 1. MB. & IX. 4. BygnB. unumquemque condon-  
 cet. Quin autem sic & volatilia domestica mansueta peco-  
 ris adpellatione includantur, nemo fortassis ambiget. De  
 mensueraëlis cervis, solis fere & gratissimis Lapponum o-  
 pibus, anceps magis futura suisset quæstio, nisi & eos  
 jamjam, quoad a feris discerni potuerint, mansuetis æqui-  
 parari placuisse K. Fbrord. d. 21. Aug. 1766. Satis ergo  
 jam clarum, quænam sint de quorum inventione nunc  
 sermo est animalia. Nec minus manifestum, dici non  
 posse hæc ipsa inveniri, vel quamdiu in fundo sui domini  
 aut ejus confiniis agunt, vel mox ac in alienum evase-  
 rint solum adprehensa: sed omnino requiri, antequam a  
 non-domino suo immittantur gregi, ut a nemine agnita,  
 tamdiu per incerta oberraverint loca, ut ex communi ho-  
 minum judicio dubium amplius videri non debeat, eadem  
 sibimet relicta, iter quo domum redeant vix ac ne vix  
 quidem repertura. Cfr. IX. 1. BygnB. Nisi enim hoc  
 immoti instar ponatur principii, facilissimum erit turpissi-  
 mum quemvis abigeatum, honestiori inventionis nomine  
 prætexere. Quæ autem de hac sigillatim specie Jura no-  
 stra præcipiunt ad sequentia fere redeunt momenta, ni-  
 mi-

mirum (1.) ut simplici tantum vice publica ejus proclamation fit facienda, in tempis scil. & concione sacra illius urbis aut parochiæ, intra cuius limites inventum fuit pecus. Ratio est, quod cum aliquanto insolentius sit, pecora longe admodum e pascuis, quibus adsueverunt, divertere; maxime quoque probabile videatur unius etiam proclamationis beneficio ad aures domini per venturum cuiusnam custodia pecus suum decineatur. Quamvis tamen honeste & laudabiliter se gerant, qui *equos* præsertim fugitivos, quod dissitiora nonnunquam isti petere soleant loca, Praefecto provinciæ denunciant, ejusque opera per omnem præfecturam proclamandos curant. (2) Ut pecudibus hilce, si ad utendum fruendum idoneæ fuerint, quales Jus vetus *Nyttiæfå* adpellat, jumentis puta, in specie olim *Wårknadha få*, *Trknadha*- & *Örknada få* dictis, vaccis item, ovibus & capris ad vecturas & mulctum, quinimo, si modo non anticipetur legitimum tempus, ad tonsuram, non tamen ante factam rite proclamationem, cfr. IX 1. BB. in fin. LIII. 2. MhB. UplL. XXXV. 1. TiufB. LL. in fin. uti frui inventorii liceat. Interest namque id ipsius domini, ex ea in primis caussa, quod sumptus in custodiæ & curationem eorum expensi, perceptis ex iisdem operarum, mulctus & tonsuræ fructibus, quoad ejus fieri potest, compensandi veniant. (3.) Ut domino suum repetenti, contra quam olim nonnullis saltim in provinciis moris fuisse observamus, LIII. MhB. UplL. in pr. XV. 2. TiufB. WGL. XXXIV. BygdB. ÖGL. nulla honorarii pro inventione, nisi promissum fuerit, solvendi, sed impensarum solummodo, quatenus fructuum æstimationem superaverint, refundendarum necessitas incumbat, cfr. XXXV. TiufB. LL. in pr. (4.) Ut si vel læsæ existi-

stimationis sit inventor, vel aliis insuper præsumptionibus gravatus, probata etiam denunciatione inventi pecoris, ad abigeatus suspicionem juramento præterea suppletorio diluendam compelli queat. Quod ipsum quam aequum sit, licet & alias in foro juramentis ludere minime conveniat, ex summa memorati modo eriminis & patrandi & occultandi facilitate plus satis intelligitur. (5.) Ut si pecus suum intra legitimum tempus vindicare neglexerit dominus, illud ubicunque demum repertum *Inventori* in solidum adquiratur.

### §. XVI.

Excipit jam quinta inventionis species, quæ in inventione ANIMALIUM MANSUECTORUM conficit. Plura quidem horum occurrere genera, ut feras quasvis cœures, pavones, columbas, accipitres ancuratorios, apes &c. nemini est ignotum. Sed cum pleraque unius fere voluptatis caussa ali consueverint; & ars accipitraria, utilitatem olim, vid. *XIII. 4. Fornām B. WGL.* pessum prope jam dudum in patria iverit; solæ ex his apes ob summam suam in re œconomica utilitatem dignæ visæ sunt de quarum inventione recentiori hoc nostro ævo leges ferri e publica re esset *XXI. 1. 2. BB. XLVII. 4. MB.* reliquis ne commemoratis quidem, nisi quatenus in noxibilibus actionibus necessaria quædam de iis contingere inspectio *XXII. 8. BB. XXXIII. 3. MB.* Quod tamen enim non impedit, quo minus de singulis mansuectorum generibus quæstio in foro moveri queat, nostrum erit principia, quæ istiusmodi caussis rite discutiendis inferunt, generatim paucis explicare. Probe igitur tenendum man-

sue-

*surfacta* in duplice considerari debere discrimine, prout vel manifestis notis a feris sui generis dignosci vel non dignosci possint. Illa *discernibilia*, haec *indiscernibilia* WOLFIUS l. c. cap. II. §. 267. appellavit. De his palam est, ea nostra eo tantum usque intelligi donec vel revertendi consuetudinem non deferuerint, vel hac deserta in conspectu nostro sic exstiterint, ut haud difficilis sit eorum persecutio: & contra eadem, simulac revertendi animum abjeccrint, nostrisque oculis ita se subduxerint, ut desperari debeat, an in nostram denuo redigi queant potestatem, *nullius* tanto magis fieri, quanto evidentius liqueat, & omnem domino viam, qua ea sua esse probet, defuturam, illaque vel ea propter pro derelictis merito habenda fore. Cum jam apes ad indiscernibilem classem referendas esse pateat, nullo inde negotio conficitur, quod si *examen apium*, seu nova illa progenies, quae alveari, quo in edita fuit exire novasque sibi sedes querere cogit, longius evolaverit; dominus vero in continentि id ipsum persecutus, arborem vel locum quemcunque in quo confederit, indicio ejus rei vicinis facto, signaverit, eum dominium illius amissione censeri minime posse: idem valere, si intra propria sua septa, *innom hagnad*, id est, *i åkergårde*, *ång och beteshaga*, cfr. XIV. 1. 2. in pr. BB. item XXXIX. in pr. BB. LL. & XXX. in pr. BB. SudermL ubi scilicet facillima ipsimet apium suarum futura est occupatio, confederit: & nemini igitur, positis his circumstantiis integrum esse fugitivum examen sibi intercipere. XXI. 1. BB. coll. cum §. 2. ibd. Ex adverso, si domino plane incio evaserit, vel eum persequentem extra septa sic effugerit, ut ubinam recipi possit nesciat; tum certe eum dominio ejusdem excidisse recte judicari, & apes, ad instar

rerum nullius *occupanti*, si is jus occupandi habuerit *in solidum*, si minus, *in commune* cum illo ad quem laudatum  
 jus pertinet adquiri. Quibus ex principiis supra §. VII.  
 latius expositis, facile deducitur, quam naturali æquitati  
 congrua sint, quæ Jur. nostro sanciuntur *l. c. §. 2.* &  
*XLVIII. 3. MB.* ut apes quas quis in suo agro, vel cu-  
 jus partem pro indiviso possidet, invenerit, sibi soli cedant:  
 ut in hoc casu eas publice proclaimari minime opus sit:  
 ut qui in alieno solo sed intra septa, quippe quæ occu-  
 pandi gratia sibi ingredi non licet, invenerit, nullam ex  
 iis partem percipiat: ut qui extra septa in alieno inven-  
 erit, triente tantum earum inventionis jure potiatur, duas  
 autem trientes domino fundi cedere cogatur: ut colonus  
 similiter, nonnisi trientem apium, in fundo, quem condu-  
 ctionis lege possidet inventarum, suam faciat; quod qui-  
 dem ob rationis paritatem ad omnes etiam alios, qui sine  
 proprietatis particula alienos fundos incolunt extenden-  
 dum: ut singulis his in casibus, in quibus nimirum inven-  
 tor ipmet proprietarius fundi non est, proclaimatio in-  
 ventionis necessario sit facienda; ut denique collitione in-  
 ter duos vel plures inventores existente, eum, qui inven-  
 tas primus proclaimari fecerit, cæteris præferri oporteat:  
 De *indiscernibilibus* autem reliquis, quod simulac in nostra  
 esse defierint possessione, ex eo quod circa caputram fer-  
 rarum obtinet jure, pronunciandum sit, in aprico fatis  
 positum existimamus. Magis vero ambigua de *discernibili-  
 bus bestiis*, quas in dominio alicujus fuisse certo confat,  
 est quæstio, an & illæ mox ac omnis earum propria no-  
 stra opera in continent recuperandarum spes decollaver-  
 rit, in ferarum censum reveræ judicari debeant? Ita qui-  
 dem Romanis visum est, §. 15. *Inst. de rer. div. l. 44. ff.*  
     de

*de adqu. rer. dom.* forsan ut frivolis litibus materia subtraheretur. In contrarium autem sententiam iverunt GROTIUS l. c. s. 3. HUBERUS l. c. 5-8. p. 458. & WOLFIUS l. c. s. 268. 271. 272. 288. 290. eas si vel nulla alia re, quam torquibus aut crepundiis a feris dignosci queant, hanc solum ob causam, quod in naturalem libertatem se receperint, & persecutionem domini evaferint, derelictas minime præsumendas esse rati. Nos præeunte PUFENDORFFIO *Jur. N. & G. Lib. IV. c. 6. s. 12.* distingendum arbitramur inter animalia, de quibus ex ipsa eorum qualitate & prodentibus fere exutæ nativæ feritatis individuis certo judicari potest ea fuisse mansuetitia, & illa, quæ quis nunquam cœcurata, aut vivariis inclusa, aut domi suæ eatenacis constricta aluit: *illa* videlicet ubi capiantur, domino indicanda, vel si is ignoretur, publice denuncianda esse, *hæc vero*, quantumvis crepundiis insignita, statim ac capta sunt, capientis fieri. Hinc si quis in Fennia nostra pavones invenerit, vel domesticas columbas, vel anates vel simias vel feras alias fugitivas, quas nec dum hominum consortium valde abhorrere, quin potius ad capiendam escam facilissime adlici posse, adeoque cicures non ita pridem fuisse liquido adpareat; næ is famam suam & existimationem periclo exponet, si eas absque prægressa proclamatione publica sibi retinere in animum inducat. Sin in feram quis inciderit adpensa quidem sibi veteris dominii signa gestantem, sed ad humanum conspectum extreme pavidam & fugam ex omnibus suis viribus molientem, scrupulosi nimium hominis foret de domino ejusdem inquirendo deliberare. Etenim cum hujusmodi animalia per insitam sibi natura infinitam vagandi vim perpetuo velut possessioni renitantur, ut proinde nec ullum eorum

absque adcurata custodia & continua quasi occupatione intelligi queat dominium; neque dubitandum videtur, quin ex eodem momento quo in libertatem femet vindicarunt, pro rebus nullius sint habenda. Cfr. PUFEND. l. c.

### §. XVII.

Succedit demum sexta eaque ultima inventionis species, inventio nimirum RERUM NAUFRAGARUM, de qua cum specialis, Maritimi nempe sit Juris, in Jure nostro communis XLVIII. 2MB. non nisi remissive agitur, ad genuinam scilicet hujus materiae sedem, quae habetur l. IV. Capp. SiðskB SiðL allegando. Duæ interim loco primum adducto notantur inferiores quasi hujus inventionis species, una, navis a præsidariis nautis desertæ, in litus projectæ aut in alto fluctibus agitatae, Skeppsfynd cfr. XLII. 5. MB. altera mercium vel levandæ navis caussa jactarum, vel naufragio distractarum, sive ad litus jam adpulsa, sive in maris superficie natantes, sive in fundum cuin vel sine adligato fune signoque adreno submersæ, istæ deprehendantur, Strandvrak. Cfr. K. förordn. om Dyker. d. 18 Nov. 1734. Gottl. StL. Lib. III. P. 3. & 13. Quamvis vero sic objecto quod vocant materiali differant Skeppsfynd & Strandvrak, communi olim nomine Watnsyndir dictæ; quia tamen idem habent objectum formale, adeoqne & in iis quæ juris sunt, per omnia inter se convenient, hic ut unica solammodo species merito considerantur. Vix autem quisquam adeo in institutis gentium est hospes, ut nesciat, per omnem fere notiorem orbis nostræ partem, postquam Legum vel Rhodiarum vel Roma-

na-

nartum in hac causa æquiorum, v. STYPMANN. *Jus Marit.* P. V. c. 5. §. 3. & LÖCCEN. *de Jur. Marit.* L. I. c. 7. §. §. 8. 10. cecidisset observantia, olim invaluisse, ut res naufragas, quantumvis & sole meridiano clarius adparere debuisset, eas deficiente justa derelictionis præsumptione domini manere, nec adprehendentis fieri posse, l. 2. §. 8. & l. 3. ff. *de Leg. Rhod.* *de jactu*, vel accolis impune diripiendas permetterent, vel domino territorii velut maris fructum aut litoris sui quandam accessionem addicarent, ipsis etiam nautis haud raro servituti mancipatis. Constat potius, medio in primis ævo, cum aurea sœpe hinc exspectanda videretur messis, eo audaciae & inhumanitatis proœctam fuisse hanc deprædationum licentiam, ut gentium alii, Deum de sua benedictione litoribus largiter impertienda (*dass Gott das Strandrecht segnen wolle*) blasphemis publice invocandum facerent precibus, THOMAS. *de Jure consuet.* §. 113. TITIUS *Jur. Germ.* p. 11. Lib. X. c. 13. §. 20. alii a mari remotiores in ipsa continentia naufragium fingerent, eoque sub prætextu viatores, ponte collapso vel curru diffracto damnum passos, rebus suis omnibus spoliarent; ceu hoc de *Trevirenibus* & de *Bremensibus* in specie evictum dederunt KRESSIUS ad Artic. 218. *Const. Crim. Carol.* p. 784. WESTPHAL *Monum. Cimbr.* T. IV. pp. 908-926. quo in loco & copiosam recensionem statutorum ad historiam barbari hujus juris pertinentium lectu haud injucundam exhibit, ex qua & suppleri quadantenus possunt, quæ de hoc argumento egregie commentati sunt EHRENSTRÅLE in dissert. *de Jure fisci in bona naufr.* Lund. 1752, & IHRE in Histor. *Juris Warechi Ups.* eodem anno editis. Nobis hac in re prolixioribus esse non licet. Observabimus solum Majores nostros,

stros, piratica quantumvis famosos, tantam inhumanitatem omni ævo fuisse detestatos. Sedit iis eadem quæ THEODORICO Ostrogothorum Regi sententia, cui notante e GOLDASTI *Const. Imp. WESTPHAL.* l. c. crudelitatis genus esse visum est, ultra naufragium velle defavire & illos ad dispensia cogere, quibus inopem vitam inumania pericula cessisse probarentur. Hinc etiam olim bona naufraga, servatio modo detracto, salva dominis suis restituenda edixerant. Et licet his, si ignorarentur penitus, nec intra annum & noctem sui indicium facerent, jus vindicandi eriperent; iis tamen de quibus certo innotuisset, ne quidem annalem hanc præscriptionem, quominus res suas recuperarent, obstatre voluerunt. Vid. XXXVII. 3. BB. ÖGL. VIII. 2. 3. SkL. Lib. III. Part. 3. c. 13. Gottl. StL. LIV. MhB. UpL. in pr. CVI. MhB. WestmL. XXXVII. MhB. HessL. XVIII. 2. BjörkR. XXXVI. TiufB. LL. in pr. XIV. TiufB. StL. cfr. STJERNHÖÖK de Jure Sv. & G. pp. 376. 377. Hodie sic obtinet, ut quisquis res naufragas invenerit, eas Praefecto Regio, aut cum jam Fiseus jus naufragia colligendi in *Societas Urinatorias* quarum duæ institutæ sunt, (*Södra och Norra Dykeri- och Bergnings-Compagnierne*) transtulerit, proximo harum Societatum Mandatario intra noctiduum, vel quam primum id per locorum distantiam fieri queat, denunciare teneatur. Quo facto cura & opera Societatis, in ejus ditione calamitas accidit, res naufragæ mox colliguntur, quæ corruptioni celerius obnoxiae forent, publica auctione divenduntur, reliqua in tuto loco custodienda deponuntur, donec aut domino, si de eo liqueat, significatum, aut, ubi is ignoretur, per universum regnum proclamatum fuerit naufragium. Si dominus res suas vindicaturus intra annum &

no-

noctem comparuerit, nec hostis sit nostræ civitatis, hostiles enim res *bellica occupatione* coronæ cedere per se patet *C. I. SjöskB.* tum reliquis porro mereibus publica sub hasta distractis, soluto tantummodo servaticio, de quo *K. förordn. d. 18 Nov. 1734. §. 3. & K. förkl. d. 6. Mart. 1739. §. 3.* & quæ cæterum vectigalis & Tolagii loco pendenda præcipiuntur, pretium earum omne recuperat. Sin ultra hoc tempus emanserit, bona naufraga, servaticio iis quorum interest præstito, Fisco adplicantur. Quod quidem jam, cum commercia universum pæne humanum genus communī velut födere junxerint, & parum absit, quin Mercatores per omnem orbem dispersos peculiarem unam societatem in statu naturali viventem, & consuetudinario quodam jure ac mercatoria fide subnixam efficere dixeris, rarissime continget. Ratio autem cur fiscus ubivis fere gentium jus colligendi naufragii totum sibi vindicaverit, non inde petenda est, quasi ex alienis calamitatibus turpi avaritia compendium sectentur Principes; verum inde potius, quod aëtum pæne esset de navigationis & commerciorum securitate, nisi districtissimam agerent curam, ne aliter quam publico nomine omne hoc maritimis periculis occurrenti negotium peragatur, & ne quid de naufragis rebus surrepticia occupandi diligentia in privatorum pervenire queat dominium. Cfr. sæpius cit. *K. förordn. d. 18. Nov. 1734. §. 2.* Utinam & sic caveri satis posset, ne adflictis addatur adflictio, & servatores jura sibi arrogant, immiti ipsa maris tempestate turbidisque procellis rapaciora.

### §. XVIII.

Supereft, ad metam jam properaturis, ut de delictis quæ circa res inventas ab *inventore* perpetrari queunt

panca subjungamus. Delinquitur in rebus inventis (1.) denunciationem earum & proclamationem, ubi lege præcepta fuerit, mala fide negligendo. Et quamvis palam sit in dolo versatum indiscriminatim dici non debere quemlibet, qui rerum a se inventarum numerum, pondus, aut reliquas quibus dignosci possent notas exactissima ad curatione proclamationi inferendas non fecerit, quippe quod prudentia plerumque suadeat, ne aliæ præconis voce propagandæ credantur talium rerum notæ, quam quæ domino quidem ad eas pro suis agnoscendas, fraudatori non item ad interceptionem earum tentandam sufficient: delinquitur tamen (2.) partem inventorum, dum vel domino restituenda vel ad divisionem conferenda erunt, reticendo, abnegando & occultando: ut & (3.) Inventæ ante adserunt si bi legitime eorum dominium sic distrahendo, ut quibus qua totum vel partem cedere debuissent jure suo frustrentur, XLVIII. 5. MB. coll. cum K. Br. om Fynd d. 20 Aug. 1745. Singula vero hæc delicta, quemadmodum ob dolosum in delinquente lucrisaciendi animum, ad furti natu ram proxime accedere nemo non videt; ita nec difficile ad judicandum, pœnæ, qua vindicari eadem conveniat quantitatatem ad analogiam quandam pœnæ ad finibus furti speciebus propositæ, si aliâs cohærebit legum latio, esse exigendam. At quoniam eatenus a furtis differunt, quatenus res inventæ non, pariter ac furataæ, e possessoris sui custodia surripiuntur; ideo neque obscurum esse poterit, quana æquitati omnino fit consentaneum, ut mitioribus quam hæc ipsa pœnis cohercentur. Nam & levius est quod ex iis publicæ securitati imminent detimentum; & plus etiam habent excusationis ex oblata forte, non studio quæsita, contrectandæ rei alienæ occasione. Hinc &

Ju-

Juris nostri hodierni Conditores, repudiata antiquarum & exoticarum plerarumque legum duritie, criminibus, quae in speciebus inventionis, quas *communis esse juris* supra diximus, admittuntur, multam dupli & eam sic quidem poena furti simplicis triente leviorem constituerunt. *XLVIII. 5. MB.* cfr. *XL. 1. ibd.* Nec dubitandum, quin, quoties multæ solvendæ par non fuerit delinquens poena corporis adflictiva ipso irroganda veniat, secundum *duas* solum trientes æstimationis rerum inventarum in quibus fraudulenter se gesserat, quo sic corporalis poenæ eadem quæ pecuniariæ furem inter & dolosum inventorem servetur proportio. Non quidem ignoramus a Supremo Dicasterio Regio, quod hic Aboæ est, non in caussa modo speciali aliter pronunciatum, verum & litteris quas vocant *circularibus* ad subjectos sibi Judices datis generaliter præceptum fuisse, ut dolosi inventores multæ pendendæ impares poena corporis pro integra rerum a se interversarum æstimatione plesterentur (°). Sed hoc, ut salva Tanti Regii Judicij

F 2

auto-

(°) Ne gratis hoc dixisse videamur, ipsas adponemus litteras, quarum hic est tenor: *Wi &c &c Af thet Under-Dosmore hemstält Kongl. Hof-Rätten sådane mål, som angått fynd och bittegods, eburu Lagen uti XXV. Cap. 5. §. RB därtil ingen anledning gifver, och den som med utflaget varit missnögd därfore bordt underrättas at genom Besvär sielf anmåla saken i Hof-Rätten, har Kongl. Hof Rätten vid samma måls föredrag mde äfven funnit, at then som i följe af 5. § XLVIII. C. MB. blifvit fäld til de där utsatte dubbla böter emot värdet af fyndet, och ei mägtat them gällda, är belagd med kroppsplikt, uträcknad efter böterne, som dock ei kan vara Lagens rätta mening, så vida den brottslige i slik bändelse skulle undergå svårare straff än then som första gången betrådes med stöld; hvorför och til förekommande af slik irrings Kongl. Hof-Rätten aktat nö-*

auctoritate nostram ingenue profiteamur sententiam, non  
 alio factum videtur jure, quam quod reddere dicitur Præ-  
 tor, etiam cum inique decernit. Quotus enim quisque  
 est qui non evidentissime perspicit, admissa hac causæ in  
 quæstionem deductæ decisione, funditus everti inculcatum  
 toties a Legumlatore principium, ut in analogis criminibus  
*samma skilnad som år - - - uti siflva bôterna, bôr jäm-*  
*väl uti straffet hafva rum, når bôterne i kroppspunkt förvand-*  
*las, K. Br. d. 5. Decemb. 1739. cfr. K. Br. om twebôtes stôl-*  
*der d. 20. Dec. 1737. & om Nidings-stôld. d. 17 Januar.*  
*1741.* Monuisse autem vix opus fuerit hac poena dimi-  
 tendum non esse eum, qui prætentia pecoris errabundi  
 inventione, veritatem sui adserti jure jurando fir-  
 mare non potuit. Is quippe, utpote abigeatus reum  
 semet confessus, quod huic criminis statutum est suppicio,  
 adficiendus erit, *K. Förordn. d. 3. Aug. 1748.* Quandoqui-  
 dem vero omnia, quæ ad mare quoquo modo intutum  
 reddendum & turbandam navigationis securitatem ten-  
 dunt scelera, propter singularem partim eorum aut pa-  
 trandorum aut occultandorum facilitatem, partim & ob-  
 damni ex illis orituri magnitudinem, extraordinaria vin-  
 dicari soleant severitate, vid. *XVIII. 2. 3. 4. 5. XLII. 2.*  
*3. MB. K. M. Påbud d. 31. Januar. 1751. K. Förordn. d.*  
*28. Nov. 1766.* neque iniquum videbitur, quod qui circa  
 inventionem nauticam malam adhibuerint fidem, graviori-  
 bus subjiciantur poenis. Ut igitur ambigi nequit, quin in  
 eos

---

digt, at härigenom förståndiga Eder, det kroppspunkten uti dy-  
 like förefallande ärender bör lämpas efter värdet af godset som  
 blifvit bittadt och ei efter dubbla bôterne. Befalle &c. &c.  
*Abo d. 16. Febr. 1751.* Et mireris profecto ex sanis præmis-  
 sis conclusionem minus sanam fuisse deductam.

eos qui inventis rebus naufragis denunciationem earum differunt, licet & nulla alia re peccaverint, viginti thalerorum mulcta sit animadvertisendum, vid. *Conſt. Rex. prox. cit.* ita interversoribus naufragarum mercium a se inventarum *quadrupli* mulctam, vel poenam corporis, ex integro earundem pretio cum augmento quadrantis computatam, infligendam esse docet c. IV. *SjöſkB.* coll. cum XLII. 5. MB. & K. Br. d. 17. Januar. 1741. cum contra qui servatas jam merces clam & fraudulenter contrectaverrint, sive sub ipso tempore naufragii, sive postea illud fiat, poena capitis plectantur. XLII. 2. MB. cfr. K. M. Rescr. til Åbo Hof-R. d. 22. Dec. 1743.

Sed hic pedem jam figimus. Si quid candidis & æquis rerum æstimatoribus hac qualicunque nostra commentatiuncula ad illustrationem patrii Juris contulisse videbimus, erit de quo magnopere nobis gratulabimur.



